

doquidem ad *αισθησιν* et sensum omnia hic referri videmus? Quot quantaeque ineptae argutiae, inutilis et vanae eruditionis in primis criticae apparatus, ex editionibus nostris auctorum classicorum exularent, si auream hanc philosophiam excoluissent editores, iudiciumque veri, boni ac pulchri, exacuissent; ita saepe in animum venisset, docta quidem ea esse, quae afferantur, sed a re et consilio aliena; contra desiderari ea, quae, ut ad ipsam scriptoris lectionem ex opera nauata aliquam utilitatem lectores capiant, efficere possint.

Est tamen huius quoque generis editionum, quod Te non fugit, mi Tychsen modus et ratio tractandi non vna, pro eorum, quibus editio adornatur, vsu et ingenio, et pro editoris consilio. Si enim quemuis ex populo lectorem habere velis, innumera esse possunt quae interpretatione indigeant, et si vulgaria ac doctis sordentia. Quae quidem arbitror scholis esse seruanda, vt doctorum opera discipulis ea subministrentur; aut viris doctis relinquenda, qui poetam in sermonem vernaculum convertunt. Aliam, cum interpretationum et animaduersionum dilectu, monitis passim de pulcris ac praeclaris locis inspersis, editionem dedit nuper Niemeierus, vir ingeniosissimus, et, nisi festinatum fuisset, nihil esset, quod in hoc genere desiderares. At quae editio doctioribus adornanda erit, ea non nisi mythos exquisitiores, obseruationesque omnis generis